

Ob-12

1882.2



INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBURGENSIS

PER HIEMEM

A DIE XV OCTOBRIS ANNI MDCCCLXXXII
USQUE AD DIEM XV MARTII ANNI MDCCCLXXXIII

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT COMMENTATIO DR. HENRICI OSWALD:
DE GENERIS HUMANI IN PROTOPARENTE LAPSI AD SALUTEM IN CHRISTO
RECUPERANDAM DIVINITUS INSTITUTA PRAEPARATIONE.

BRUNSBURGAE, 1882.

TYPIS HEYNEANIS.



LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

DR. FRANCISCUS DITTRICH,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

KSIĄŻNICA MIEJSKA
IM. KOPERNIKA
W TORUNIU



1943:202

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS
R E C T O R E T S E N A T U S
CIVIBUS SUIS

S.

**De generis humani in protoparente lapsi ad salutem in Christo recuperandam
divinitus instituta praeparatione.**

Particula II.

Quam ante hos fere sex annos de proposito argumento inchoavimus disputationem, ut ea ad aliqualem finem tandem perducatur, ratio ipsa et recurrens similis scribendi occasio postulare videtur, etsi interim lingua vernacula in libro a nobis de „Redemptione“* edito plura huc spectantia jam exposuimus. Itaque, ne manca et mutila ista commentatio maneat, ea quae desunt, genere dicendi huic loco accommodato, inde depromere et, prout res fert, paulo immutata iterum explanare conabimur, ea tamen conditione — ne forte, quod pigeat, denuo lectorem ad tempus futurum amandare cogamur — ut *primo* in adumbranda Salvatoris imagine prophetica, ad quam in Part. priore (vide pag. 13) populi Israelitici praeparationem deduximus, ab altera *οἰζονομία*, quae dicitur, praescindentes — utpote qui, quae circa mortem Christi expiatoriam versantur vaticinia, in libro citato sat fuse descripsimus — in priore subsistamus, i. e. ut Messiae futuri primordia et vitae primordialis circumstantias solummodo, qualiter ea penes prophetas praesignificata fuerint, ostendamus; *deinde*, ut similiter insigne illud oraculum de tempore apparitionis Messiae a Daniele propheta per hebdomadas expresso missum faciamus, quippe quod paulo accuratius explanatum ampliorem occuparet locum, quam haec occasio tolerare videtur.

Quae autem hoc in genere restant praecipua vaticinia Messiana, ad quatuor capita rediguntur; sunt etenim Christi partus virgineus, locus ubi Salvator natus est, stella magorum ad adorandum regem Judaeorum ductrix, ac demum de praecursore seu viae statore Johanne Baptista praelibatio prophetica. His absolutis, nisi excurrat ultra limites debitos oratio, etiam de praeparatione mundi ethnici divinitus instituta pauca promemus.

* Die Erlösung in Christo Jesu. Paderborn 1878. 2 Bde.

De futuro Messia vaticinia prophetica,

τὴν προτέραν οἰκονομίαν spectantia.

§ 4.

1. Inter omnia, quae circa Christum versantur veteris Test. vaticinia, praecipuum locum obtinet illud, quod est de „Emmanuele“ et ejus matre Virgine (ἁλμά) apud prophetam Jesaj. cap. 7, vs. 13—16; sed idem etiam ita est comparatum, ut non solum interpretes infideles sed etiam theologi acatholici, alias paene orthodoxi, in eo plus minus impegnerint: quamvis ambigendi locus ei esse non possit, qui auctoritati novi Test. sincere acquiescit, quum Evangelista, Christi conceptum de virgine Maria per spiritum St. foecundata enarrans, apertissime proloquatur:* „Haec omnia facta sunt, ut adimpleretur, quod dictum est per prophetam a Domino: ecce virgo concipiet cet.“ Eo majoris idecirco momenti est, argumentis ex ipsa re petitis ostendere, intellectum textus prophetici de conceptu et partu vere virgineo, qui praeter Christi matrem nunquam evenit, teneri posse, imo debere.

Achaz igitur rex Judae per Assyrios, in belli societatem assumptis Ephraimitis (regni decem tribuum asseclis) et Syris Damascenis, ita opprimebatur, ut animo imbecillis et iners de salute paene desperaret. Quo in tempore Jesajas propheta a Domino, ut regi animos addat et ad resistendum strenue hostibus cohortetur, delegatur. Cui mandato obtemperans Vates regem, cum nihilominus haesitaret et animum desponderet, ut sibi signum instantis salvationis a Deo peteret, monuit. Ast rege talem sponsonem recusante propheta (V. 13). „Numquid, exclamat, parum vobis (sc. regi et adstantibus regni proceribus) videtur, molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? (v. 14) Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo illa (ἁλμά) concipiens et pariens filium, et vocabis (vocare poteris) nomen ejus Emmanuel (ἱμμανουὴλ = Deus nobiscum). (V. 15) Lac et mel comedet (infantili cibo nutrietur, i. e. solito infantilis aetatis more adolescet), usque dum sciat reprobare malum et eligere bonum (intellige: inter cibos sensu gustuque distinguere possit, i. e. usque dum annum vitae circiter secundum compleverit). (V. 16) Quia antequam sciverit puer reprobare malum et eligere bonum, desolabitur regio, cujus principes pertimescis.“

Magnificum hocce oraculum spectare ad Christum Dominum, mundi sospitorem ac Judaici praeprimis populi vindicem, ex stirpe Davidis (cujus ad prosapiam etiam rex Achaz de sua suaeque familiae regiae incolumitate in hac rerum gravi angustia anxius pertinuit) oriundum, Christique partum ex illaesa virgine innuere — ut id lectori persuadeamus, in arguendo non tanti facimus matris denominationem, quanti prolis per tria fere capita additis splendidissimis attributis descriptionem. Quanquam et in designata h. l. matris παρθενία prudens dubium haerere non potest. Verum quidem est, vocem hebr. ἁλμά usu loquendi non stricte et de industria statum virgineae integritatis in muliere exprimere, pro quo designando Hebraei potius voce *bethûlâ* uti solent, sed ex rerum adjunctis satis apparet, in hoc contextu nisi de matre vere virginali esse non posse mentionem. ἁλμά enim semper puellam nubilem quidem, sed innuptam; viro maturam, sed non copulatam indigitat, ita ut de muliere legitime maritata nusquam usurpetur. Quodsi igitur h. l. „virginem“ intelligere nolis, necesse omnino est, de toro illegitimo cogites: Quis est qui talem in hisce circumstantiis intellectum admittere velit, ut Immanuelis tantopere celebrati ortum, ex parte materna infamiae nota maculatum, credat a Vate enunciari? Absit. Non in eo laborat propheta, ut tantae prolis matrem tanquam virginem

* Matth. 1, 22 seq.

prorsus illibatam ob oculos ponat — hoc enim ut notum et ab omnibus concessum praesupponit — sed eo tendit potius, ut hujus matris (certo virgineae) vitae statum florentem (*τὴν τοῦ βίου ἀμύνην*) praedicet. Re sic stante vocabulo *bethûlâ* ne uti quidem orator facile potuit; sed merito vocem adhibuit, quae etsi de industria carnis integritatem tantopere non exaggerat, tamen solemnior et ad tantae matris dignitatem illustrandam accommodatior videbatur. Observa porro, in Hebraeo vocem *ʒalmâ* articulo insigniri (*ἡ παρθένος*), qui quidem articulus, defectu alius relationis e sententiarum nexu sumendae, non potest explicari nisi de re alioquin notissima; quasi dicat vates: „Cogitate, quaeso, de *ʒalmâ* illa, cujus notitiam habetis (rex ipse et ejus comites) et de salutifera ejus prole“, scilicet, ne desperatio vos frangat. — Quodsi quis autem verba haec de futuri Salvatoris matre virginali praefracte noluerit intelligere, omnia ad profana detorqueans, nihil restat, nisi ut vel de regis vel de prophetae uxore sibi fingat nomen *ʒalmâ* esse dictum. Absurdum utrumque. Mater enim liberorum ex legitimo connubio susceptorum nunquam *ʒalmâ* vocatur; filius autem regis Achaz Hiskias jam duodecim annos natus erat, sicuti propheta jam dudum plures filios habebat. Vide infra.

Sed, ut jam diximus, arguendi pro re nostra gravius pondus deprehenditur in filio quam in matre. Etenim si nomen spectes, „Deus nobiscum“ vocitatur. Per se patet, nomen personae appellative, et grammatici dicunt, valere et ad promissa h. l. et eventa transsumi; id quod in toto hujus vaticinii, quod late extenditur, ambitu fit. Nam filii prophetae quoque, quorum nomina *She'âr-jâshûb* (7, 3 = „quod reliquum fuerit, revertetur“ i. e. Judaei, in exilium abducti, remcabunt) et *Mahêr-shâlâl-châsh-bâs* (8, 3 = „festinanter praedare, cito spolia“, intellige: celeriter Damascus spoliabitur), ipsis suis nominibus una cum Emmanuele, cujus typum gerunt, tunc temporis praesentia et instantia e mente prophetantis portendunt. Quod autem Emmanuelis nomen spectat, posset illud quidem sensu humili ita explicari: „Nobiscum erit Deus etiam in praesenti angustia et suo auxilio nos juvabit“, qui quidem vocabuli intellectus, tempori apprime aptus, omnino respui non potest. Sed in hoc nequaquam est subsistendum, quandoquidem ejusmodi nomen sensum longe sublimiorem, de temporis plenitudine loquentem, quo Deus (Joan. 1,14) per incarnationem „habitavit in nobis“ i. e. eminenti modo nobiscum fuit, non solum admittit, sed postulare omnino videtur, quum, ut alia sileam, Emmanueli tam magnifica attribuantur (vid. 9, 5 et 6), quae in hominem vulgarem nequeunt quadrare et in *λόγῳ ἐνσάρκῳ* demum plenam suam et adaequatam significationem inveniunt. Audi, quaeso. „Parvulus enim natus est nobis, filius datus; et factus est principatus super humeros ejus, et vocabitur nomen ejus: admirabilis, consiliarius Deus fortis (heros), pater seculi, princeps pacis. Dilatabitur imperium ejus, et pacis non erit finis, super solium Davidis sedebit et super sedem ejus, ut confirmet illud et corroboret in iudicio et justitia amodo usque in perpetuum.“ Tam grandiloquis praedicationibus (etsi singulas ad amussim explorare supersedeas) non vulgarem vel hominem vel regem exornari, sed celebrem illum in Davidica stirpe promissum (Part. I. pag. 13) pronepotem regem Messiam innui, quis tam perfrictae frontis erit, ut diffiteri vel possit vel velit? Est ergo Emmanuel futurus Messias, quem vates noster alias *Zemach* (germen, prolem, videl. Davidis) nominat. Quod si Emmanuel Christus, oportet mater ejus sit Maria *ἡ ʒalmâ* illa *ἡ πύνη*, cujus virginali dignitatem, per partum illaesam, evangelium testatur.

Sed haec nostra textus interpretatio sua difficultate non caret. Quaeret enim aliquis, quo pacto talis vaticinatio conditioni tunc obviae adaptata esse, atque imprimis illud, qui fieri potuerit, ut portentum de eventu futuro, quem experientia probare tunc nondum licebat, promissorium *impraesentiarum* esset signum efficax ad roborandos audientium animos et ad fulciendam spem liberationis ab hostibus tunc ingruentibus. Ad hanc obmotam difficultatem ita respondendum videtur. Hostes, qui tunc Judaeam obsidebant, non id intenderunt, ut regnum ipsum pessumdarent, sed potius ut, amota stirpe Davidica, alienum regem solio obtruderent (cap. 7, 6). Regem Achaz ideo titubantem

et de sua suaeque familiae salute desperantem propheta Dei nomine bono jubet esse animo; stirpem enim Davidicam nequaquam interituram ob promissum illum regem magnum e Davide oriundum, cujus regnum non sit finem habiturum (Luc. 1, 33), quasi dicat: „Mementote istius divini oraculi, quod frangere fidem non potest, de illustri stirpis regiae pronepote; ista enim suboles Davidica ex matre virgine oriunda ipso suo, quod ei competit, nomine Salvationem jam indigitat.“* Sed ne hac quidem adhortatione contentus Jesajas tempus brevissimum designat, quo elapso omne periculum jam cessaturum sit. Proles enim virginis solito infantibus modo (corporaliter) adolescet. Antequam igitur puer recens natus ad annos discretionis physicae pervenerit (v. supr.), i. e. secundo vel tertio fere ab ortu (ergo, abhinc) anno hostium reges, spondet propheta, fore ut ad internecionem deveniant. Supposita igitur audientium persuasione, prophetam numine divino inspiratum plenissima auctoritate pollere, fieri non potuit, quin in ejus de Emmanuele effatis proxime instantem sibi ab hostibus liberationem repositam esse confiderent.

2. Quamvis de *tempore* adventus Domini, quomodo propheticæ praemonstratum fuerit, disserere detrectavimus, de *loco* tamen natalium, quia res breviter adsolvi potest, pauca disputare haud supersedemus. Natale Messiae solum teste Michaea propheta (Mich. 5,2) Bethlehem oppidum est. Capitibus 4 et 5 hujus voluminis descriptionem regni Messiani, quale sit futurum, contineri, omnes consentiunt tam Judaei quam Christiani interpretes. Inter priores jam versio Chaldaica hanc pericopam de Messia interpretatur; dein (cf. Matth. 2) sacerdotes et scribae Herodem sciscitantem, ubi Christus nasceretur, sine cunctatione ad hunc textum Michaeae remittunt; idem denique tenent Judaei temporis senioris Rabbinici. De Christianis dubium esse non potest. — Res ipsa igitur cum in aprico posita sit, tamen scrupulum movet aliqua inter textum vet. Test. (originalem non solum, sed etiam Vulgarem interpretationis nostrae Latinae) et ejus allegationem apud Matthaëum l. c. occurrens differentia. Verba enim prophetae ab Evangelista hoc tenore citantur: „Et tu Bethlehem terra Juda (*γῆ Ἰούδα*) nequaquam minima es inter urbes principales Judae (*ἐν ἡγεμόσι* = in principibus; nostra quidem sententia subintelligendum est *ἐ. ἡ. πόλεσι* = in urbibus primariis); ex te enim egredietur dux, qui regat populum meum Israel.“ Apud prophetam autem apparenter longe aliter et fere contrario modo legitur: „Et tu Bethlehem Ephrata** minor es quam ut sis inter millia Israel (*Zà'vr lihjóth* ad litteram = „parvus ad esse“ vix aliter quam sensu comparativo sumi potest, scil: „nimis parvus ad esse“ seu „minor quam ut sis.“ *Be'álpé Jehúdá* facile cum *ἐν ἡγεμόσι* reconciliatur, si statuas, quod satis verisimile est, *'eleph* i. e. mille h. l. *χιλιαρχίαν* seu tribus Israelitiae in partes divisae certam quandam portionem significare***); ex te mihi egredietur dominator in Israel“****. Quodsi etiam minoris momenti utriusque textus discrepantias, quae in glossematis jam explicuimus, tanquam etsi vocabulis dissitas, reipsa satis consonas negligere velis, magnopere tamen, fateor, inter sese distant: „Nequaquam minima es inter...“ et „Minor es, quam ut sis inter...“ Dicat fortasse aliquis

* „Deus nobiscum“ sensu immediato et humili: „Deus praesto erit suo auxilio ad retundendos hostium throno Davidico insidiantium impetus;“ sensu sublimiori adaequato „Nobiscum erit Deus per incarnationem ad sospitandum genus hominum universum contra hostes salutis aeternae“.

** Diversitas inter „terra Juda“ et „Ephrata“ omnino flocci habenda. Utrumque adjectum videtur, ad distinguendum hoc Judaei tribus oppidulum ab *ὁμωνύμῳ* civitate in tribu Zebulon sita.

*** In divisione terrae Chanaan unaquaeque talis *χιλιαρχία* seu *χιλιάς ἀνδρῶν* distinctam regionem una cum ejusdem nominis metropoli accepisse videtur, ita ut verborum sensus sit, Bethlehem oppidum hisce majoribus civitatibus pro sua parvitate vix adnumerari posse.

**** Propheta, non Evangelista addit: „cujus ortus est ex antiquo, a diebus aeternitatis.“ Ipse jam verborum sonus plus quam simplicem hominem, ergo Messiam, innuit.

Evangelistam spreto textu hebraico interpretes Sept., ut saepe fit, sequi. Sed quum hi interpretes, utut variae sint hujus loci lectiones, in hoc commate particulam negantem (*οὐδαμῶς*) non sistant, mea opinione Matthaeus textum a nostro masorethico diversum prae oculis non habuit; sed potius neglectis verbis ipsis libere et memoriter tantummodo sensum verborum expressit, testificans, dummodo rei substantia et sententiae, ut ita dicam, nucleus servetur, de vocabulis et earum nexu grammatico Scriptores novi Test. parum curare. Etenim quantacunque appareat distantia prophetam inter et evangelistam, ita ut verba paene contrarium sonent, si interiorum enunciatorum sensum explores, bene inter se componuntur. Ponamus igitur, Bethlehem civitatem ita fuisse comparatam, ut dubium fieret, utrum istis urbibus primariis adnumerari posset necne, uterque scriptor, propheta et evangelista, reapse idem, utut modo longe diverso, expressit; quandoquidem unus dicit: „Minor es, quam ut adnumerari istis civitatibus possis (minor scil. secundum vulgi externa ponderantis iudicium), sed *tamen* egredietur ex te, cet.“ (i. e. tamen propter hanc tuam praerogativam revera prae istis urbibus praecellis); alter autem proloquitur: „Nequaquam minima es (i. e. quamvis vulgi opinio dissentiat, tamen es inter urbes illas nequaquam minima, imo es praecipua), *quia* ex te egredietur, cet.“ Quodsi tali modo textum utrumque explicueris, non obstante diversitate grammatica et rhetorica ipsam sententiae substantiam ad idem recidere fateberis.

3. Tertio loco sic dicta „Magorum stella“, de qua Matth. 2. sermocinatur, in censum venit. Ad hanc enim referri posse arbitramur Bileami vaticinium de „stella ex Jacob oritura“, quod Num. 24 legitur. Ita censemus, non quidem pari ac in praecedentibus oraculis firmitate persuasionis nixi, tum quia videlicet novi Test. auctoritas deficit, et quae in Divino — officio instituitur utriusque sideris compositio, ad argumentum efficax haud sufficit, tum quia hocce Bileami oraculum vetustissimis vaticiniis adjungitur, quae in futuri Messiae figura lineamenta tam particularia non solent exhibere. Attamen, quum apud Matthaeum l. c. Magi vociferentur: „Vidimus stellam *ejus* (recens nati Salvatoris)“, tale dictum aliquod praesagium, ad quod recurrunt, omnino innuere videtur. Et quamvis non negemus, ista Magorum verba per se etiam referri posse ad vaticinium sacris literis non contentum, quum adeo penes ethnicos, quales Magi erant, constet famam de futuro orbis terrarum rege Messiano percerebuisse, tamen quia talis alioquin de stella ortum Messiae indicante praenunciatio prorsus ignoratur, obvium est, ut in Bileami vaticinatione illam quaeramus, et, si fieri possit, adstruamus. Consideret igitur et ponderet lector, Bileamum ad populum Dei non pertinere, sed quamvis veri Dei (heus contra suam ipsius voluntatem) propheta sit, gentilibus adjungi, sicut et novi Test. Magi, atque adeo „Magi“ nomine vel ipsum posse designari. In Mesopotamia habitat, unde eum Moabitarum rex Balac adsciscit, i. e. in eadem circiter regione, unde et Magi ex Oriente profecti Jerosolymam perrexerunt. Facile igitur fieri potuit, ut penes istius ditionis homines celebre illud Bileami de stella vaticinium, per secula perseverans, vigeret ita, ut „Sapientes“ illi in prodigiosa siderum conjunctione, quam in coelo observabant, nati Redemptoris signum agnoscerent, et ad fidem Christianam inter gentes primitiae pervenirent. Sed utut haec res se habet, nostra quidem sententia Num. 24, 14 seq. in Bileami eloquio, quod hebraice *mâshâl* vocatur, de futuro Messia praesagium habemus.

Res gesta ita decurrit. Israelitae per desertum migrantes evenit, ut aliquando congressi sint cum Moabitis sibi perquam infestis. Quorum rex Balacus, praepremis clade Ammonitis per Israelitas inflata terrefactus, ut in angustia rerum quoquo modo sibi provideret, e dissita regione (Mesopotamiae, vid. Deuter. 23,5), prophetam dixerim an praestigiatores, accessivit, ut hostibus malediceret, ex quo maledicto fausta sibi et suis fore ut provenirent, sperabat. Bileamus, primo tergiversatus, tandem regis vocem vocantis obsecutus est; ast contra suam ipsius, ut apparet, mentem, Deo sic jubente et inspirante, ter repetita benedictionis verba in populum Israel effudit. Iratus est rex. Sed vates

Dei praecepto se resistere non posse, nec ullo, ut magno, pretio plectum se a mandato divino recessurum esse, protestatus est (I. c. vers. 15). Qua protestatione non solum, ut suam benedictionem contra regis mentem factam excusaret, usus est, sed etiam, ut inde exorsus continuo vaticinationem de casibus utriusque populo (Israelitarum et Moabitarum) futuro tempore obventuris prosequeretur. Atqui in hac utriusque gentis comparatione illud praeprimis observandum est, Israel, qui benedictus fuit, divinitus institutae theocratiae, Moab vero populorum isti theocratiae hostilium figuram et personam praesentare. „Ecce igitur“, inquit (V. 15), „redeo ad plebem meam. Jam annuntiabo tibi (regi), quae populus iste (Israel) tuo populo factururus sit diebus novissimis“*. Dein vates duobus vers. insequentibus divinitus factae inspirationis propheticae indolem luculenter describens tandem (vers. 17) in haec, quae maxime ad rem nostram faciunt, verba prorumpit: „Video Eum sed nondum adest; praesagio, sed nondum apparet. Egredietur *stella ex Jacob*, surget sceptrum de Israel: percutiet latera Moab (*pa'athe* = latera, est Dualis numerus; similitudo sumpta a jumento, cuius latus ab insidente domino verberatur; Vulg. habet „Duces Moab“, fortasse e lectionis varietate: *pachôthê*) et delebit (hebr. proprie „perforabit“, Vulg. „vastabit“, Septuag. *προνομιέσει* i. e. „exhauriet per depraedationem, wird ausfouragiren) *omnes filios Seth*“ (ita Vulg. nostra. Quodsi hebr. *Shêth* nomen personae proprium habes, per filios Seth omnes homines utpote a Setho Adami filio — per Noachum — orti intelliguntur. Sed hoc jam re ipsa absonum videtur, nimirum omnes homines extinctum iri; neque etiam universum hominum genus tali locutione designari solet. Accedit et alia ratio huic intellectui repugnans, quia videlicet parallelismus qui dicitur seu concinnitas partium in enunciato omnino postulat, ut filii *Shêth* iidem sint cum filiis Moab. *Shêth* igitur, sensu quasi appellativo sumendum est vel ita, ut hoc vocabulum a verbo *shâ'â* i. e. „ruere, fremere, tumultuari“ deducas, ut in nostro textu *shêth* pro *shê'th* sit positum, ergo „filii Seth“ = „filii tumultus seu ruinae“, quasi dicas „homines ruinosi infausti [cf. Jes. 48, 45 ubi pariter Moabitae *benê shâ'ôn* — appositum hoc ab eadem radice derivatur — appellantur]; vel ita, ut vocem *shêth* a verbo *shâthâ* i. e. „bibere, inebriari“ derives, ut habeas „filii ebrietatis“, respectu nempe habito ad ignominiosam originem Moabitarum, quorum proavus *ἑπώνυμος*, sicut et Ammonitarum, a Loto in statu ebrietatis progenitus fuit. Optio inter utramque explicationem difficilis, sed quia ipsius rei differentiam non parat, penes lectorem derelinquitur). (Vers. 18 et 19) „Edom quoque expugnabitur et Seir hostibus in praedam cadet. Ex Jacob orietur dominator, qui quod de urbibus residuum fuerit, delebit.“

Haud quidem inficiamus, in rege illo, quem vates noster canit gloriosam hanc de Moabitis et Ammonitis victoriam reportaturum, sensu proximo et immediato non Messiam sed potius Davidem esse intelligendum, qui rex teste historia utramque hanc gentem perdomuit. Veruntamen si consideremus, has nationes a Davide nondum ad interneccionem usque esse debellatas, ut quae postero adhuc tempore populum Dei infestaverint; si dein perpendamus, sicut per istas gentes, ut diximus, theocratiae hostes generatim adumbrantur, ita e contra Davidem Messiae tanquam regis gloriosi exemplar *τυπικὸν* extitisse (v. Part. I pag. 13 seq.): vix dubitari potest, vatem nostrum mentis oculo in proscenio quidem, ut ita dicam, temporum conditionem Davidicam sed ulterius (im Hintergrunde), intervallo temporum, ut fieri solet in prophetia (Part. I pag. 12, seq.), neglecto, regnum Messiae gloriosum spectasse et enarrasse, seu, id quod eodem recidit, vatem sub imagine Davidis has idololatrias gentes evertentis nobis exhibuisse ejus germen illustre „filium David“ de peccato et errore triumphantem, Salvatorem nimirum mundi Christum Dominum.

* Acharith hajjâimim = *ἔσχατοι καιροί* est locutio, quae in utroque Test. tempus Messianum intento velut digito innuit.

Haud igitur sine ratione in hoc vaticinio Messiam investigasse et deprehendisse nobis videmur; utrum vero per stellam quae ex Jacob oritura describitur (juxtapositum „sceptrum quod ex Israel surget“ sine dubio figurate de regia potestate interpretandum est) secundum verborum sonitum sidus fulgidum reapse in coelo apparens, an tropica locutione dominator praepotens ac illustris sit intelligendus, penes lectorem sit judicare: qui tamen, velim, diligenter animadvertat, tropum „fulgidi sideris“ ad hominem rebus gestis illustrem tralaticii, penes nostrates tantopere usitatum, in s. scriptura non extare, quum qui tali nostri textus interpretationi adstipulantur, ad solum hunc locum provocent. — Diductis igitur rationibus jure nostro arbitramur Stellam Jacob in vaticinio cum Stella Magorum in historia non absone composuisse.

4. Pervenimus tandem ad inclytum sacerdotis Zachariae filium Johannem Baptistam, de quo salvator (Matth. 11, 13) „Lex, ait, et prophetae usque ad Johannem.“ In hoc enim viro veteris Test. prophetia subsistit, quem ut ejus proximam cum Messia connexionem indigitemus, „Christi praecursorem“ vocare solemus.* Ejusmodi praecambulus antesignanus Christi fuit, de quo Evang. Marcus (11) intonat: „Vox clamantis in deserto: parate vias domini, rectas facite semitas ejus“ (des. ex Jes. 40, 5).

De hoc autem Christi praenuncio luculenter tractat, qui est inter vates veteris Test. tempore ultimus, Malachias propheta (cap. 3; ex dispos. Vulg. cap. 4 includitur). Vaticinium hoc ex consensu Judaeorum ac Christianorum de futuro Messia agens, quin in causam nostram assumere possimus, dubitari nequit, nisi forte in eo haereas, an non potius de secundo Christi adventu propheta tractet. Sed ea de re; uti jam supra (Part. I p. 14 seq.), ita fusius etiam alio loco** mentem nostram exposuimus, prophetas nimirum saepius de utroque Christi adventu uno tenore simul loqui ita, ut eloquium sensu secundum verborum sonum proprio ad secundum, sensu vero non proprio sed ad spiritualia translato ad priorem, de quo nobis sermo est, sit referendum et explicandum: quam quidem explicandi rationem hac vice ipsum novum Test. confirmat. — Locus autem Malachiae, quem innuimus, sic habet.

Judaei, etsi ab exilio Babylonis reduces, tamen adhuc multis aerumnis ac calamitatibus pressi de angustia temporis, quod sibi ex male intellectis divinis oraculis statim fortunatissimum fore speraverant, hac spe falsi, acerbe querebantur. Quos ut consoletur vates, ad Messiae tempus provocat, cujus praecambula haud longo intervallo jam adfutura describit. (cap. 3, 1) „Ecce ego mitto nuncium meum (Vulg. habet „angelum;“ hebr. *mal'akh* saepius et h. l. extra ullam controversiam non „angelum“ sensu doctrinae Christianae significat, sed de legato vel nuncio misso secundum etymon vocis hebr. est intellegendum), ut praeparet viam ante me; et mox ad templum suum (hebr. *hêkhâl* = palatium, domicilium, ubi quis praecipue habitat vel colitur) veniet Dominus (*hâ'âdôn* cum articulo; enallagen personae hic, uti saepius apud prophetas, necesse est statuas; etenim hic Adon, qui veniet, evidenter idem est cum mittente eo, qui statim ab initio sermonis in prima persona de se ipso loquitur; sensus ergo est: „ego ipse veniam ad templum meum“), quem quaeritis, et angelus testamenti (*mal'akh habberith*, non est idem cum *mal'akh* in primo versiculi commate sed potius cum mittente *rôv mal'akh* in eodem, ergo cum *âdôn* secundi commatis; hic, qui est Messias mittens nuncium suum, „angelus foederis“ vocatur propter mediationem foederis Jehovae cum populo Israelitico initi, cf. Act. 7,53; in Pentateucho toties Angelus Domini vocatur), quem desideratis; ecce veniet, dicit dominus exercituum.“ Sensus ergo ita decurrit: Ego veniam, „dominator et foederis mediator“ (i. e. Messias), ad habitaculum

* Latinius dixeris „viae statorem“. Solebant enim antiquitus reges, iter majus suscepturi, ablegatum praemittere, ut semitas forsan ruptas et anfractas resarciendas et explanandas sollerter curaret, quo commodius et expeditius iter facere possent.

** Vide Eschatologie S. 144 f. u. 391.

meum (genus humanum), praemisso ante me praenuncio (de quo disquisitio nostra agitur) ad praeparandas vias idoneo. — Quae deinceps in volumine prophetico sequuntur, splendidam exhibent descriptionem iudicii ab hoc Domino et foederis Angelo instituendi, quam, quoniam pro re nostra minoris ponderis est, omittere possumus*. Clausula autem hujus descriptionis (cap. 3, vv. 23 et 24; sec. Vulg. cap. vv. 5 et 6) ita sonat: „Ecce ego mittam Eliam prophetam, antequam dies Domini veniet magna et terribilis; is convertet cor patrum ad filios et cor filiorum ad patres, ut ne veniam et percutiam regionem deletionis maledicto.“ Ergo et *Elias* Domini advenientis antesignanus sistitur. Numquid iste Elias idem est cum Angelo mittendo ex Vers. 1? Videamus. Jam in ipso veteri Test. ad hocce de Elia praenuncio vaticinium recursus habetur** a Jesu Sirachide (Eccli. 48, 10): „De quo (scil. Elia, cujus praeconium eo loco habetur) scriptum est in castigationibus futuris (*ἐν ἐλεγμοῖς χρόνον*), quod leniet iram domini et reconciliabit cor filii cum patre et restituet tribus Israel.“ Ecclesiasticum ad locum Malachiae expositum alludere, aequalitas verborum extra controversiam ponit. Quoniam autem Sirachides munus Eliae ante diem domini mittendi evidenter cum iudicio habendo componit, obvium est ut statuamus, finem oraculi Malachiani ab Ecclesiastico directe referri ad Messiam quidem, sed quando is „venturus est iudicare vivos et mortuos“ i. e. ad alterum ejus adventum; ita ut satis verisimile fiat, Eliam nondum mortuum sed solummodo ad superiora translatum ante consummationem seculi iterum in terris apparituro esse***. Per se jam patet, tali intellectu non negari, verba vatis nostri aequo jure ad priorem Christi *παρουσίαν*, salvationis causa institutam, (de qua sola tractamus) referri posse, quandoquidem Evangelio teste tunc temporis Judaei crediderunt fore, ut adventum Messiae quem expectabant (priorem nempe) apparitio Eliae praecederet. Atqui de hac priori *τοῦ κυρίου παρουσίας* vaticinium nostrum Malachianum explicatur expressis verbis et praecipue in novo Test., hac tamen accuratiori definitione, ut dicatur, in persona Eliae *προφητικῶς* descripta adumbrari Johannem Baptistam, qui „spiritu et virtute“ tanquam alter quidam Elias, qui ejus typum in antiquo foedere gesserit, habendus sit. Audi verba Angeli, Zachariae filium nasciturum annunciantis (Luc. 1, 17): „Praecedet in spiritu et virtute Eliae, ut convertat corda patrum ad filios cet.“ Ipse autem Salvator discipulis eum sciscitantibus, quid sibi velint scribae dicentes, Eliam prius (i. e. ante Messiam) opus esse ut veniat, respondit, certe Eliam esse venturum et omnia restitutum; „ast, inquit (Math. 10, 12), dico vobis, quod Elias jam venit, et non cognoverunt eum;“ discipuli autem bene comprehenderunt (ib. vers. 3), magistrum de Johanne Baptista dicere. Attamen ipse Dominus innuere videtur, istud de venturo Elia oraculum diverso adhuc modo esse complendum, quum dicat (Matth. 11, 12 seqq.): „A diebus Johannis Baptistae usque nunc regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. Omnis enim lex et prophetae usque ad Johannem prophetaverunt; et si vultis accipere (*εἰ θέλετε δεξασθαι*), ipse est Elias, qui venturus est“****.

Quodsi igitur ad prophetam nostrum redeamus, procul dubio res ita se habet. „Angelus,“ qui in initio sermonis prophetici ante Messiam praemittendus signatur quique versus finem „Elias“ nuncupatur, Johannes Baptista innuitur, qui „in spiritu et virtute Eliae“ Salvatorem praecessit, i. e.

* Observet tamen lector, plures in hac pericopa locutiones exstare, veluti vers. 19 „Dies venit“, „Die quo operor“ quae tempora Messiana aperte insinuant; cf. Eschatologie S. 351 f.

** Animadvertendum, quia raro fit, ut ad priora oracula in ipso vet. Test. respiciatur.

*** Vide Eschatologie S. 16.

**** Ab ipso Domino igitur nobis duplex sensus vaticinii de Elia in terris iterum apparituro indigitatur, quorum unus, intellectu spirituali translato sumendus, in legentis vel audientis arbitrio est positus, alter, verborum sono naturali expressus, non admittit optionem. Sane digna, quae accurate observetur, Christi vox, ex qua consequitur, sensum scripturae, qui dicitur tropicus, spiritualis, typicus cet., nolenti non esse facile obrudendum.

qui ad instar magni illius viri, in vetere Test. sub nomine Eliae venientis, viri inquam, summo ardore gloriam Dei et cultus divini integritatem aestuantis, tanquam alter Elias profectus munus suum obiit; et asserendo, regnum Dei jam instare atque eapropter ad poenitentiam vulgi pectora exstimulando viam Messiae stravit, et hominum mentes ad eum velut manu duxit. Ex aequo constare videtur, in reditu Salvatoris ad iudicium de mundo habendum similis formae praeparationem per alterum sive dixeris Johannem sive Eliam antecessuram esse, ipsum autem qui iudicem Christum sub finem mundi in terras redeuntem antecessurus sit, in ipsissima persona Eliam fore, diu in paradisum sublatum sed necdum morti obnoxium, satis verisimile videtur.*

Ad Johannem igitur usque, severum illum et rigidum arctioris poenitentiae praeconem ac vindicem veteris Test. prophetia extenditur, ita ut in ipso utrumque foedus simul contignatum in unum coaluisse videatur. Inter omnes, qui de venturo generis nostri sospitatores vaticinati sunt, sicut tempore postremus, ita auctoritate gravissimus fuit Baptista;** ipse adeo, ut ita dicam, prophetatus antiquitus (scil. loco Malachiae fusius a nobis exposito),*** non more veterum prophetarum τὸν ἐρχόμενον obscura et forsitan ambigua veritatis luce praenunciavit, sed extento velut pollice jam praesentem indicavit, exclamans: „ecce agnus dei, qui tollit peccata mundi“ (Joh. 1, 29), vatum omnium, quotquot fuere, novissimus, in quo divinitus praestabilita populi Israelitici praeparatio ad rite suscipiendum suum et omnium salvatorem tandem, tot seculis elapsis, in plenitudine temporis (πλήρωμα τοῦ χρόνου) finem habuit. Ita sui sacri officii nota insignitus filius Zachariae ut ad poenitentiam, per quam ad fidem in Christum habendam aditus patefit, respiscerent, cujuscunque conditionis ac status homines cohortatus, omnes qui sese, ut venturum Messiam (cf. Act. 19. 4) crederent, paratos habebant, in aqua baptizavit. Cum autem ipse Dominus Jesus Christus, recepto prius, ut inter utrumque virum connexio manifesta fieret, per Johannem baptismo, munus a Deo patre sibi demandatum suscepisset, ejus Antesignanus, quae sui officii erant, plene solverat, (cf. Johann. 3, 30: „Ipsam oportet crescere, me autem minui“). Nec mora longa; mox enim morum rigidus censor mercedem, quae solet esse prophetae scelus castigantis, reportavit; nam „misso spiculatore abscidit Herodes caput Johanni Baptistae“ (Marc. 6, 27) in obsequium saltatricis petulantis, cujus mater adultera male notatam ab eo malitiam ulcisci gestiebat.

Nihil igitur mirandum, quod, quando a Deo praestitutum salvandi mundi tempus fortunatissimum jam prope aderat, melioris notae et pientiores Israelitae diu desideratum (cf. Jes. 45, 8) Messiae adventum impresentiarum praestolabantur, sperantes, ut Evangelii verbis utar, vel consolationem Israelis (Luc. 2, 25), vel redemptionem et visitationem plebis (ib. v. 38) vel regnum Dei (Marc. 15, 43). Quorum in numero fuit Simeon justus, senex ille venerabilis, qui a deo responsum adeo acceperat, non visurum se mortem, nisi prius oculis carnis Christum Dei conspexisset, quique postquam illi contigit, quod sperabat, in verba celebris Cantici prorupit: „Nunc dimittis servum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum, cet.“ Pariter quoque Phanuelis filia prophetissa Anna, vidua grandaeva, quae cum divino infante in templo conveniens luculentum fidei testimonium exhibuit. Tandem nobilis decurio Joseph, ab Arimathaea ortus, qui demortui corpus Jesu a procuratore Pontio Pilato sibi exposcere non est tergiversatus.

Quum igitur Dominus Jesus, per baptismum quasi solemniter inauguratus, magisterium suum publicum incepisset, „regnum Dei“ jam propediem instare praedicans, i. e. antiquitus promissorum veram et absolutam completionem adesse docens, seque ipsum esse, per quem complenda sint: praeter


* V. Eschatologie S. 15 f. u. 258.

** Cf. Matth. 11, 11 „Inter natos mulierum non surrexit major Johanne Baptista“.

*** Recte observatum est, eum, de quo vates canit, majorem esse vaticinante.

simplicem mentis dispositionem et sinceram cordis rectitudinem nihil opus erat, ut vulgus hominum in praedicante ac docente diu et ardentem desideratum mundi et populi Sospitorem fideliter agnosceret. Profecto tot secula, inde a clade generis humani usque ad ejus restitutionem elapsa, populo Judaico non sine magno et salubri fructu praeterierunt, utpote ad amplexandam Christi doctrinam, quam fieri potuit, optime praeparato.

Absimili quidem, quae tamen vili in aestimatione non sit habenda, ratione diuturno hoc temporum decursu etiam *gentes* (Part. I pag. 11), revelationis expressae beneficio carentes, divina sic disponente providentia ad amplectendum salubriter Christi adventum maturuerunt. Ast heus, quod in initio disputationis nostrae metuimus, revera evenisse dolemus: iterum oratio nostra nimis excrevit, iterumque, quod in hac causa explicatius dicendum restat, in aliam occasionem reponamus necesse est. Vale interim lector!



LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Hugo Weiss, P. P. O., h. t. Decanus.

- I. Apologeticen tradet bis terve per hebdomadem hora II.
- II. S. Pauli ad Romanos epistolam necnon epistolas quas dicunt pastorales interpretabitur quater per hebdomadem hora VIII.
- III. Repetitiones exegeticas instituet horis definiendis.

Dr. Franc. Hipler, P. P. O.

- I. Theologiam pastorem docebit sexies per hebdomadam hora IX.
- II. De iure matrimoniali disseret diebus Lunae et Jovis hora VIII.
- III. Exercitationes homileticas instituet horis definiendis.

Dr. Franc. Dittrich, P. P. O.

- I. Historiam ecclesiasticam recentioris temporis enarrabit quater per hebdomadam hora IX.
- II. Jus canonicum tradere perget bis per hebdomadam hora IX.
- III. De arte ecclesiastica disseret semel per hebdomadam hora definienda.

Dr. Henr. Oswald, P. P. O.

- I. Doctrinam dogmaticam de peccato originali et de redemptione generis humani tradet quinque vel sexies per hebdomadam hora X.
- II. Praemissa introductione selecta capita prophetiae Jesajae interpretabitur bis terve per hebdomadam horis definiendis.
- III. Linguae hebraicae grammaticam docebit addens exercitia interpretatoria ter per hebdomadam hora XI.

Dr. Jul. Marquardt, P. P. E.

- I. Theologiae moralis partem ultimam, ratione habita virtutum et officiorum ad vitam socialem pertinentium, explicabit quinque per hebdomadam hora XI.
- II. Repetitiones et disputationes de selectis doctrinae ethicae capitibus instituet semel per hebdomadam hora XI.
- III. Historiam literariam ecclesiae primaevae tradere perget horis definiendis.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P. O., h. t. Decanus.

- I. Historiam tragoediae Graecae enarrabit et Euripidis Iphigeniam Tauricam interpretabitur bis hebdomade hora IX.
- II. Antiquitates sacras et profanas ex inscriptionibus Graecis et Latinis eruet ter hebdomade hora IX.
- III. Exercitationes philologas instituet h. d.

Dr. Jos. Bender, P. P. O.

- I. Historiae recentioris partes praecipuas tradet ter per hebdomadem hora XI.
- II. Historiam Prussiae imprimis Warmiae enarrabit bis per hebdomadem hora XI.
- III. Historiam poësis christianae apud Germanos cultae exponet selectorumque carminum interpretatione illustrabit semel vel bis per hebdomadem hora XI.

Dr. Frid. Michelis, P. P. O.

Lectiones nullas habebit.

Dr. Jos. Krause.

- I. Introductionem in studium philosophiae tradet bis per hebdomadem hora X.
- II. Logicam et noëticam docebit ter per hebdomadem hora X.
- III. Metaphysicam exponet ter per hebdomadem horis definiendis.

Publica doctrinae subsidia.

Bibliotheca Lycei Regii, cui praest **Prof. Dr. Weiss**, commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris hora II—III.

Praeterea instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, in Lyceo asservantur.

Certamen literarium et Praemia.

Renuntiatio judiciorum de certamine literario a commilitonibus Lycei Regii Hosiani anno superiori inito et quaestionum in annum currentem promulgatio.

Ordo Theologorum pro certamine literario has proposuerat quaestiones:

- I. Ex stipendio Regio: De superstitionis religiosae origine, indole, formis.
- II. Ex stipendio Scheill-Busseano: Exponatur, quantum scripta Tertulliani ad antiquitates ecclesiasticas cognoscendas atque illustrandas conferant.

De priori quaestione Ordini una oblata est commentatio hisce Lactantii inscripta verbis: „Religio veri cultus est, superstitio falsi“.

Auctor hujus commentationis de origine ac natura superstitionis religiosae parum diligenter exploreteque scripsit et quae vera attulit, nonnunquam obscuravit; de formis autem satis amplam materiam congegit nec inepte discussit. Quod dura lingua usus est et maxime vitiosa, hoc licet negligentiae potius quam inscitiae adscribendum sit, tamen severa vituperatione dignum videtur. Quapropter Ordo Theologorum scriptori palam non deberi, sed ne labori desit pretium, quinquaginta marcas ex praemio constituto decernendas esse iudicavit.

Rescissa schedula nomen innotuit:

Victor Jasinski, stud. theol.

De altera quoque quaestione una Ordini tradita est commentatio his Tertulliani insignita verbis: „Semen est sanguis christianorum.“

Hanc quaestionem qui tractavit, e Tertulliani scriptis locos sat multos atque ad antiquitates ecclesiasticas illustrandas aptos congegit, quos tamen non ita disposuit ac discussit, ut specimen idoneum eruditionis rectaeque rationis disserendi in disciplinis et in rerum historicarum indagatione dedisse videatur. Quumque praeterea grammaticae stilique normas nimis neglexerit, Ordo Theologorum censuit, auctori, ut qui ex parte tantum quaestioni satisfecerit, partem eamque dimidiam praemii constituti adjudicandam esse.

Aperta schedula nomen prodiit:

Valentinus Barczewski, stud. theol.

Ordo Philosophorum ex instituto Regio hanc quaestionem proposuerat:

Quae sit philosophiae cum theologia necessitudo, exponatur?

Commentatio constituto tempore Ordini oblata est una his Geibelii verbis inscripta:

„Das ist das Ende der Philosophie, zu wissen, dass wir glauben müssen.“

Quam qui conscripsit, magis in testimoniis congerendis, quae partim ne idonea quidem neque apta ad persuadendum videntur, quam in ipsa rei ratione ac principiis enodandis versatus est. Philosophiam quomodo theologia alat adjuvetque, obiter tantum significavit. Ceterum quum quaestioni propositae satisfacere studuerit nonnullisque locis rem tractaverit dexterius, Ordo praemium legitimum ei attribuit.

Rescissa charta innotuit:

Leo Reiter, stud. theol.

Ordo Theologorum pro certamine literario in annum subsequentem hasce proposuit et proponit quaestiones:

I. Ex instituto Regio:

De incruentis Hebraeorum sacrificiis, imprimis ratione habita loci Mal. 1, 11, disputetur.

II. Ex instituto Scheil-Busseano:

Bertholdi Ratisponensis O. S. Fr. modus concionandi ex scriptis ejus tum latinis tum vernaculis illustretur.

Ordo Philosophorum:

Henrici IV episcopi Warmiensis vita enarretur accuratiusque quam gravia atque infausta ipsius tempore cum Prussia tum Warmia perpressae sint, ex fontibus vernaculis explicetur.

Certantium commentationes sermone latino scriptae et more consueto obsignatae ante diem XV. Januarii a. 1883 Rectori Lycei exhibendae sunt. Victoribus praemia constituta: ex instituto Regio LXXV, ex stipendio Scheil-Busseano C marcarum.

Promulgatum in solemnibus Serenissimi Imperatoris et Regis Guilelmi nataliciis die XXII. Martii anni MDCCLXXXII.